

**3** Deus autem non est materia. ¶ Tertio, quia theologia pro maiori parte est de rebus creatis. ¶ Quarto, quia (secundum Augustinum) tota scriptura est de rebus, & signis, ergo res, & signa sunt theologie subiecta. ¶ Quinto, quia ut ait Hugo, opera restaurationis sunt theologie materia. At in quo libro de sacramentis: Opera prime conditionis seu creationis, sunt aliarum sententiarum materia; opera vero restaurationis, sunt materia theologie. Quin & secundum Glossam quamdam super librum psalmodum, Christus sponsum, & eius sponsa, seu ut alij dicunt, totus Christus. i. caput, & eius membra, sunt theologie subiectum. ¶ Sexto, de subiecto oportet præcognoscere quid est, & quia est, ut dicitur i. Posteriorum: sed de Deo in hac vita cognoscere non valemus quid est, ut dicitur Dionysius quinto mysticæ theologie capitulo, & Damascenus primo libro testant. ¶ Septimo, quia singularium non est scientia, Deus autem est maximè singularis. ¶ Octavo, subiecto scientie competit habere principium, & partes, & passiones, quorum nullum competit simplicissimo, & impassibili Deo. ¶ In oppositum est communis doctrina. ¶ De hac questione opiniones sunt varie, que partim concordantur per resolutionem Thomæ, hoc loco dicitur: Subiectum scientie habet ad minus tres comparationes. Prima est, quod quæcumque traduntur in scientia, continentur sub subiecto. Hanc conditionem subiecti, quidam considerantes, posuerunt res, & signa esse subiectum huius scientie: quidam verò totum Christum, ut tactum est: seu sponsum, & sponsam, ut Casiodorus: quoniam quicquid in ista scientia traditur, ad ista reduci videtur. Secunda comparatio seu conditio subiecti est, quod eius cognitio in scientia principaliter intenditur: & quia scientia hæc principaliter tendit ad Dei cognitionem, posuerunt aliqui Deum scientie huius subiectum. Tertia conditio est, quod per subiectum suum distinguitur scientia a scientiis ceteris: atque ex hac consideratione dixerunt quidam, Credibile, esse scientie huius subiectum. Hæc enim scientia per hoc ab alijs differt, quod ex inspiratione habetur, & secundum fidei inspirationem procedit. Alij, opera restaurationis, quoniam tota scientia ista ad consequendum restaurationis effectum ordinatur. Porro si uolumus inuenire subiectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quod ens diuinum cognoscibile, per inspirationem, si sciens huius subiectum. Omnia namque que considerantur in ea, sunt vel Deus, aut ea, que ex Deo, & ad Deum sunt, in quantum homo: sicut, & medicus considerat signa, & causas sanitatis, & multa huiusmodi, in quantum sunt sanitas, est, ad sanitatem aliquo modo relata. Intra quantum, quid magis ad veram detatis rationem accedit, tanto principalis in scientia ista consideratur. Hæc Thomas in Scripto super primum. ¶ Veruntamen in prima parte Summæ, questione prima, ad questionem hæc ita respondet: Subiectum huius doctrine est Deus, quoniam uenerit, que considerantur in ipsa, sunt Deus, vel aliquo modo referuntur ad ipsum, tanquam ad primum principium, ac ultimum finem. Vnde sicut se habet obiectum ad habitum sic uel potentiam, sic se habet subiectum ad scientiam. Ideo sicut illud est obiectum potentie, sub cuius ratione omnia sub potentia cadunt, ut homo, lignum, lapis, referuntur ad visum sub ratione colorati, propter quod coloratum est visus obiectum: sic quoniam omnia, que in sacra considerantur scriptura, cadunt sub consideratione theologi in ordine ad Deum, ideo Deus est theologie subiectum. Hæc Thomas.

¶ Præterea, Petrus circa huius questionis solutionem tres narrat opiniones: Quidam, inquit, dicunt quod de subiecto theologie est loqui tripliciter, secundum tria, que sunt in uoquoque ente completo, uidelicet quo ad substantiam, uirtutem & operationem. Primo modo, subiectum theologie est Deus: secundo modo Christus, qui est uirtus Dei patris: tertio modo opera restaurationis facta per Christum, De operibus uero creationis agitur in scripturis per accidens, ut manifestius pateant opera restaurationis. ¶ Alij dicunt, quod aliquid dicitur alicuius scientie subiectum tripliciter: Primo, id ad quod omnia reducuntur in illa scientia sicut ad principium radicale: secundo, id ad quod omnia reducuntur tanquam ad principium integrale: tertio, id ad quod referuntur, ut ad principium ueneriale. Primo modo subiectum in geometria potest dici punctus, a quo fluit tota natura quantitatis, & continuæ. Secundo modo corpus quantitatis, in quo omne que dimensionis includitur. Tertio modo quæritas continua immobilis, quæ de qualibet figurarum specie prædicatur. Primo modo Deus est theologie subiectum, secundo modo Christus, tertio modo ens diuinum. ¶ Tertij asserunt subiectum scientie dici dupliciter. Primo stricte, ac proprie, quod dicitur subiectum intentionis, & de quo in scientia principaliter agitur, & ad quod cætera reducuntur, & sub eius ratione aliquo modo continentur, per quod, & scientia ab alijs distinguitur, & de quo etiam intitulatur. Secundo large, & communiter, quod dicitur subiectum executionis, scilicet omne illud, de quo in scientia tractatur, uerbi gratia, artis domesticæ subiectum intentionis est domus, subiectum uero executionis, est materia circa quam operatur. Primo modo Deus est subiectum theologie, secundo modo omnes res diuine, secundum quod esse diuinum participant. Hæc Petrus, qui & huic ultimæ positioni seu distinctioni magis consentit.

¶ Insuper Richardus circa hæc scribit: Subiectum in hac scientia est Deus, quamuis scientia ista principalis consideret de Deo id, quod per naturalem rationem inuestigari, & cognosci non ualeat de eo. Ut enim patet primo Posteriorum, illud est subiectum scientie, cuius proprietates per se considerat ipsa scientia: sed scriptura considerat Dei proprietates, & operationes. Agitur in scriptura de Deo, secundum rationem suæ naturalis perfectionis in quantum eius perfectio reuelat in operibus conditionis, & administrationis, seu gubernationis, & restaurationis, & sanctificationis, & retributionis: ad quæ sex possunt reduci omnia, quæ considerantur in sacra scriptura, quia intra diuinam perfectionem comprehenduntur attributa diuine essentie, personarumque emanationes, & earum proprietates. In operibus conditionis comprehenduntur creatio, creatorum distinctio, & distinctorum ordinatio. In operibus restaurationis etiam multa comprehenduntur, quia præfigurata sunt restauratio in institutione ueteris legis, ac ueterum sacramentorum, initiata in filij Dei incarnatione, promotam in nouæ legis datione, completa in CHRISTI passione, manifestata paucis hominibus in resurrectione, atque aliquibus angelis in ascensione, & toti mundo in euangelij per discipulos predicatione. In operibus quoque sanctificationis, in intelligi uirtutum infusionem, & sacramentorum nouæ legis susceptionem. In operibus retributionis intelligitur, tanquam præuia, & extremi iudicij examinatio, reproborum damnatio, & principaliter electorum glorificatio.

Opinio 1.

1. Cor. 1.

3

Richardus

Aristoteles

Enumeratur sex ad quæ theologia reducitur.

art. 7.

Taratafo